



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Tertius Casus de promissione in diem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

Sanctorum solum probat, id ad summum licite posse vel ex peculiari Sancti Spiritus instinctu, vel quoad extraordinaria media. Secundò, est lata disparitas inter vitam meam, & alienam: nam esto, quoad vitam meam, possum cedere iuri meo, ut aliqui, licet falsò, putarunt; at quoad vitam alterius, longe alio est ratio: ille enim alter in extrema necessitate non cedit iuri suo nolendo à me medicamentum, sed verò maximè requirere præsuntur.

5. In responsione ad secundum, factum est vilipretio valere hominem, cuius vita desperatur, si noscatur adesse in promptu medicamentum certum, multò magis si est debitum, quamvis ex solo titulo charitatis; si enim medicamentum est in promptu, ac certum, certe absolute vita desperata non est. Secundò, si ipsi debeatur ex iustitia, siue ex charitate, satis est, ut ipsi debeatur: tanti enim valet cumulus hereditatis, si ei debeantur mille ex iustitia, quanti si certò debeantur quocunque alio titulo, v. g. ex Charitate; immò aliquando magis, propter maiorem certitudinem. Fac tibi deberi centum ex iustitia à creditore, qui difficillimè solvit, & centum à S. Ioanne Eleemosynario ex mera charitate; quid tamquam æstimabilius tu eligeres? Vides quæ dixit Molina *sup. tr. 3. cap. 8. §. 2. num. 9.* eodem consentiente Caramuèle: Medico debenti mereri pauperem ex obligatione Charitatis, si superueniat alia obligatio iustitiæ, non videtur moraliter ei superaddi novum onus. Ita ergo, quamvis Petrus solum ex charitate debeat mereri servo, tantundem moraliter erit pro vita servi, quantum si debeat ex iustitia. Non interim nego posse sue tantæ artis meritam mercedem peti à Medico, vel à Petro: verum, hæc alia est consideratio. Quod si obstinatus est Petrus in negando medicamentum, fateor vitam servi esse desperatam, & ab alio tertio posse vilipretio redimi, sed an ab ipso Petro, qui hanc obstinationem suam deponere ex charitate obligatur, ex universaliter dictis *sup. lib. 7. cap. 5. §. 3. n. 21. cum de acceptis ex turpi causa*, colligi potest.

Secundus Casus.

De rebus immixtis.

6. *Acquisit* (ait Caramuél 2. Theol. mor. num. 250.) de minimis missione, cum pauca res aliena ita tuis immisceantur, ut distinguere non possint: tunc enim teneris recompensare proximo damnum ex hac missione illatum, iuste tamen res tuis immixtas retines; Ita omnes. Consilio dixi debere ita esse immixtas, ut distinguere non possint: nam si aliena sint multa, nunquam tuis poterunt ita immisceri, ut non possint distinguere: Hæc ille.

7. Ex his unum placet, alterum displicet. Placet acquiri dominium per eam missionem, quæ paucæ res alienæ ita tuis immisceantur, ut distinguere non possint id quod nos etiam docuimus *sup. tr. 3. c. 3. §. 4. num. 15.* Displicet vero illud (si aliena sunt multa: nunquam tuis poterunt ita immisceri, ut non possint distinguere) displicet, inquam. Primò, ad hominem, quia si pauca res alienæ, ut rectè supponis, doctè Caramuél, tuis immixtas discerni non possint, ergo nec discerni possunt alienæ multæ paucis tuis immixtas: si enim discerni possent alienæ multæ inter paucas tuas, etiam discerni possent tuæ pauca inter alienas multas; discernis enim alienis multis, iam necessariò quæ remanent erunt tuæ. Displicet secundò, quia clare probatur, falsum esse, tuas res paucas immixtas alienis multis semper posse distinguere: vel contrà, alienas multas immixtas paucis tuis, distinguere semper posse. Quis enim est tam oculatus, & lynceus, ut unciam vini sui immixtam cum vini amphora alieni, vel contrà, sciat discernere, quæ sit sua uncia, quæ sit aliena amphora, vel contrà? Sic in frumento, sic in pecunia eiusdem generis, sic etiam in aliis rebus, in ovibus, in lanis, vel serico eiusdem coloris. &c. Hæc satis, nam quid de acquisitione dominij per

missionem sentiendum sit, nos disputamus *sup. §. 4. a num. 15.*

Tertius Casus.

De promissione in diem.

8. *Qui in contractu* (ait Caram. 1. 2. Theol. mor. num. 609.) se daturum promittit Petro mille die Pasche, statuto non solvit, peccat contra fidelitatem, & debet post terminum elapsum solvere. Nec liber erit ab obligatione quousque solvat de falso. Ratio est, quia contractus est: Dabo tali die, vel saltem sequenti enim illud (saltem) non subintelligitur, nemo enim credit, qui liberè promittit se daturum Petro mille die Pasche, idque corroborat iuramento, si mille die statuto, peccavit quidem, sed non obligatur postea vere amplius. Et ratio disparitatis est, quia in contractu illud diem statutum Pasche, mille illi auri iam pertinet ad Petrum. Unde qui promittit, iniuste non dat, & quousque retinet alienum: sed qui liberè promittit, post diem statutum Pasche, illi auri mille ad ipsam promissionem pertinent, si sunt: ergo alienum non retinet, ergo unde aderit obligatio; Hæc ille.

9. Displicet resolutio: Nam licet disparitas data sit, obstat tamen illam ratio ab ipso allata, per quam saltem, nam sic arguo: Quid contrahit ad diem statutum, ideo obligatur post illum, quia subintelligitur, saltem, sed qui iurare libere liberaliter ad eundem diem, tunc subintelligitur saltem, ergo, &c. minor probatur, quia regulariter nemo addicit promissionem alicui diei, si enim addiceret, certe sine alia disparitate exploraret, non obligari deinceps. Ut votum de ieiunando die fixo, vel præceptum de audiendo Sacro die Dominico, non obligant pro die sequenti, quia dies quærens, nec sub voto, nec sub præcepto comprehenditur: idem ergo esset in iuramento, si sic iuratum pro die fixo esset. At regulariter, ut dico, non solet in communia humano aliquid temporale homini liberaliter promitti sub hac conditione temporis statui. Promittit Princeps, amico sic: Cras in tui gratiam libera te a carcere tuum fratrem, tuum servum; Cras dabo tibi milia aureos. Nunquid intelligitur ita, ut assignet diei cras promissionem, nequaquam. Et pauper quidem si dicit Cras dabo tibi vestem, quæ cooperariis; Nunquid pauper post duos venit dies? dices: Alibi, frater, promissa mea sunt addicta diei hesterno. Dixi tamen (regulariter) quia ex circumstantiis aliquando colligitur promissio esse addicta diei, vel tempori, sicuti aliquando dicimus in votis. Si enim cras ego instituo publicum convivium, & tibi promitto etiam cum iuramento daturum cibos tibi, & tuæ familiæ; clare apparet, te eo die non accedas ad eos accipiendos, me sequenti die ad nihil obligari, quia ex circumstantiis perspicuum est promissionem hanc addictam fuisse ad diem communis convivij.

Quartus Casus.

De Mutuo cum quadam obligatione.

10. An Petrus, si illi Antonius probabiliter, aut debet deberet centum aureos, daret eidem Antonio mutuos, sub onere, quod mille, & centum restitueret, nimirum hos mille, & alios centum, esset ne usurarius? Respondet Caramuél, 1. 2. Theol. mor. n. 737. Si debet probabiliter, usurarius non esse: esse, si dubie. Ratio est, si dubie, imprudens erit existimando sibi deberi illam pecuniam de qua dubitat: Est enim Antonij, quantum non constat esse Petri; quare Usurarius erit quia velle, supra statem, etiam illam pecuniam. At si probabiliter, prout operabitur: existimando illam pecuniam pertinere ad se, cum quilibet possit operari sine peccato in probabilitate, quare nihil præter sibi debitum recipiet. Hæc ille.